



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Gratia Dei quid sit. tit. 52

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

credite Euangelio. Et vltimo: Qui crediderit & baptizatus fuerit &c.

Quintò, quòd dicitur, Deus primò solam fidem infundit, & illa ante omnia opera iustificat. Subindè ex hac fide nascuntur cæteræ virtutes, charitas, dilectio, obseruantia præceptorum, &c. quæ sunt fructus fidei: quòd sola tamen præcedens fides iustificat, sine scripturis dicitur. Nullibi dicit scriptura, quòd Deus primò solam fidem infundit, & quòd ex hac nascuntur reliquæ virtutes. Nam charitas, timor, obedientia &c. sunt fructus Spiritus sancti, Gal. 5. Summa, sola fides nihil prodest, &c.

GRATIA DEI QUID SIT.

TITVLVS LII.



Gratia capitur tripliciter: Primò, generaliter pro omni eo, quòd habemus à Deo, siue corpus, siue vitam &c., 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti?

Secundò, pro dono specialiter, id est, quòd naturaliter ex nobis adipisci nō possumus, sed donatur à Deo, vt donum Prophetiæ, linguarum, &c. 1. Corinth. 12.

Tertiò, proprijsimè pro dono, quo nos iustificat, id est, remittit peccata, dat Spiritum sanctum, vitam æternam. Hęc sunt magna dona, quandò sanctificat, iustificat, vitam donat æternam. Rom. 6. Gratia Dei vita æterna. Et sic gratiam solus Christus meruit suo sanguine, & non cadit sub merito humano. Roma. 11. Si ex operibus, gratia iam non est &c. Rom. 3. Iustificati gratia ipsius, & hęc est illa immerita misericordia, quæ exhibetur propter Christum. Porrò gratia ad sententiã Apostoli, est immerita misericordia Dei quæ exhibet per media gratis propter Christum. Primò est ex operibus, iam gratia non est gratia. Roma. 11. sed meritum.

Secun.

Secundò, Deus exhibet per media, id est, per fidem & pœnitentiam iustificat. Marc. 1. Pœnitementi & credite Euangelio. Per orationem exaudit, Ioan. 16. Per obedientiam legis dat salutem. Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi &c. Sic gratia per media exhibetur, & nõ sine medijs: qui enim non crediderit, pœnituerit, bona operatus fuerit, nihil accipiet.

Tertiò, gratis, id est, gratia non distribuitur propter media, vt causa, sed propter Christum: hic solus est causa, qd' nobis Deus pater miseretur per media, id est, per fidem & pœnitentiam iustificat &c.

Aliud est enim, Deum nostri misereri per media propter Christum: & aliud, misereri solùm propter Christum sine medijs. Media autem nõ sunt merita. Qui ergo docent nobis exhiberi Deum, misericordiam, remissionem, salutem, sine medijs, solùm propter Christum, illi errant. Qui verò docent per media Deum nostri misereri, attamen non propter media, sed propter Christum gratis, rectè docent. Sunt enim media dispositiones ad gratiam.

Particula gratis, non excludit media, per quæ exhibetur nobis misericordia, & per quæ à nobis apprehenditur gratia: sed excludit causam & meritum, quòd non propter media & opera iustificemur, sed propter Christum, sicut dicit Apostolus Rom. 3. Gratis iustificati gratia ipsius.

Error igitur istis temporibus est, quòd pleriq; dicunt, gratis iustificamur, id est, sine medijs & operibus, solùm propter Christum, & excludunt media & sacramenta, quæ Deus ordinavit, vt per hæc media velit nobis exhibere iustificationem & salutem sola fide.

Sunt igitur media, non causa efficiens iustificationis & salutis. Nam hæc sola Christi mors est. Sunt tamen, sine qua non exhibetur communi lege beneficium Christi, causa, sicut cibus & potus, non sunt causa efficiens vitam, aut donans vitam. Hoc solus Deus facit,

facit, & causa est: Attamen sunt causa, sine qua vita non retinetur & habetur. Gratiſ igitur exhibetur misericordia & gratia Dei, sed per media, & non sine medijs.

Secundò, Apostolus Roman. 5, etiam de dono gratiæ loquitur: Multo ampliùs donum in gratia. Nam sunt idem, gratia & donum gratiæ. Gratia, id est, immerita misericordia Dei propter Christum, gratis accepti sumus in filios Dei & hæredes regni: ex illa gratia & fauore Dei nunc sequuntur & donantur varia dona gratiæ, id est, Spiritus sanctus est donum gratiæ, Romanor. 5. Ille operatur in nobis varios effectus & opera, adiuuat nos. Ideo gratia aliquandò accipitur pro adiutorio diuino, vt 1. Cor. 15. Non ego, sed gratia Dei mecum. Et Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Romanor 8. Ipse spiritus adiuuat nostram infirmitatem, id est, assistit, defendit, dat charitatem, dilectionem, timorem, patientiam, sapientiam, loquelam, castitatem, pacem &c. Galat. 5. quæ omnia sunt dona gratiæ, id est, Spiritus sancti cum omnibus suis donis, 1. Cor. 12. Alij datur sermo scientiæ, alij gratia fanitatis &c. omnia ab vno spiritu Deo, diuidens singulis prout vult. Sic largè etiam vulgò dicitur: Accedam ad hanc Ecclesiam, ad consequendam remissionem & gratiam, id est, relaxationem aut mitigationem pœnarum pro peccatis debitarum, quæ DEVS exigit, etiam dimissa culpa, sicut exemplum in Dauid est, cui moritur filius, & aliæ pœnæ accedunt temporales pro commisso peccato, etiam iam culpa coram Deo dimissa, 2. Reg. 12. Non tamen propter hoc opus visitandi Ecclesiam, Deus remittit pœnam peccati, sed per hoc opus vt medium, attamen propter Christum, qui est causa.

Propriè tamen gratia est gratuita misericordia, qua Deus propter Christum per media gratis remittit peccata, & donat vitã. Hoc semper oportet meminisse,

nisse, quòd gratia semp gratis, id est, sine meritis exhibetur propter Christum: sed tamen non sine medijs, id est, fide, pœnitentia, &c. alioquin Deus iniuriam faceret incredulis Iudæis & Turcis, quòd non etiam daret illis beneficium Christi sine medijs. Media ergo necessaria sunt: nam omnia quæ à Deo sunt ordinata sunt, &c. Roman. 13.

Tertio, ex prædictis sequitur, quòd dona gratiæ, id est, Spiritus sancti cum suis fructibus, Gal. 5. non merentur iustificationem, nec causa sunt iustificationis, id est, dilectio nostra, spes, timor, castitas, patientia, pax &c. Nam gratia ipsa, id est, misericordia Dei, præcedit dona gratiæ, id est, priùs acceptamur à Deo misericordia gratis propter Christum, & iustificamur, antequàm donamur Spiritu sancto cum suis fructibus, licet eodem actu fiant & momento iustificationis & donatio Spiritus sancti, attamen vnum præcedit ordine alterum, sicut fauor præcedit donum, & donum ex fauore venit. Ita Apostolus ad Tit. 3. hæc ordo dicit: Primò ponit misericordiam Dei, qua nos Deus saluos facit, id est, iustificat. Subindè adiungit Spiritum sanctum, quem (inquit) effudit in nos abundè, &c. Non ergo dona gratiæ iustificat, quæ iustificantur donantur accepta iustificatione, sed potiùs fructus sunt donatæ gratis iustificationis. Nemo docet, quod ijs donis acceptis postea mereamur iustificationem, sed accipimus iustificationem propter Christum, aut dona gratiæ. Iustificatio solùm propter Christum gratis fit, attamen per media.

Quartò, ex hoc etiam intelligitur, quid velit Apostolus ad Rom. 6. quândo dicit: Non estis sub lege, sed sub gratia. Sub gratia esse, est sentire & credere, quia placemus Deo propter Christum, & non propter legem, opera, & iustitiam nostram. Sub lege esse est sentire, se proprijs meritis & operibus mereri salutem & iustificationem. Et hoc est abijcere gratiam Dei. Gal.

Galat. 2. Non abijcio gratiam Dei. Si enim ex lege est iustitia, Christus gratis mortuus est.

Placere Deo non propter legem, sed gratiam, caute intelligendum est: opera legis, id est, obseruantia præceptorum post fidem & iustificationem, etiam placent Deo & exiguntur &c. Rom. 3. & habent sua præmia in hac & futura vita, sed pro tanto non placent, id est, non sufficiunt ad iustificationem, neque placere possunt Deum, quia sunt imperfecta: ideo solus Christi sanguis effusus, Deum placat. Quare ad iustificationem promerendam non placent, neque sufficiunt, neque causa esse possunt, sed à iustificatis dum fiunt in suum finem, maximè Deo placent, &c.

Præterea est gratia Dei patris, est gratia Iesu Christi, est gratia Spiritus sancti. Gratia Dei patris est illa immerita misericordia & fauor, qua nos Deus pater ab æterno ante constitutionem mundi elegit in Christo ad salutem, Ephes. i. Rom. 11. antequàm nati essent paruuli, dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui: causa igitur huius electionis est sola Dei voluntas. Gratia Christi est meritum Christi, quòd morte sua nobis, non sibi meruit. Nam ob id homo factus est, & nostram carnem & sanguinem assumpsit, atque ita nobis adherere voluit, ut passio & mors sua nobis impetraret remissionem & salutem, & nobis prodesset, & sic dicit Petrus Actor. 13. Gratia Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, id est, sanguine Christi. Et Ioan. 5. Qui habet filium, habet vitam æternam in se, filium autem habemus per fidem.

De triplici gratia Dei.

Neminem igitur vult Deus pater audire, aut remittere peccatum, & dare salutem, nisi qui secum adducat Christum. Et qui adhæret per fidem Christo, sicut dicit Ioann. tertio. Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit, id est, propria autoritate. Est enim Christus scála Iacob, Gen. 28. & Ioan. 14. Nemo venit ad patrem, nisi per me.

M m

Deus

Deus ergo pater solum respicit filium, & propter illum solum respicit illos, qui ei adherent per fidem, & propter illum solum omnia tribuit, Colossen. 1. in quo placuit patri sibi omnia reconciliari, & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt, Matt. 3. & 17. Hic est filius meus dilectus, ipsum audite. Est igitur Christus causa omnium donorum, quæ Deus nobis tribuit in presenti & in futuro, id est, remissionis & donationis Spiritus sancti & vitæ æternæ.

Est igitur gratia Christi, fauor & misericordia quam ad nos Deus pater habet, propter mortem Christi, qua per illam nobis meruit gratiam patris, & illam habet apprehendit, quæ habet Christum, & omnia cum illo, Rom. 8. Ut igitur hæc gratia Christi, aut primus fauor Dei, quem ad nos Deus habet propter filium, subinde meritum Christi, quo redempti sumus, semper in nobis maneat, & non iterum amittatur, sequitur precatur & orat Paulus pro fidelibus, inquit: Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus vobis, Amē, id est, fauor Dei & meritum Christi, Rom. 16.

Tertio, Gratia spiritus sancti, est adiutorium illius & operatio virtutum & fructuum suorum, Rom. 8. Ipse spiritus adiuuat nostram infirmitatem, Gal. 5. Fructus spiritus sunt, dilectio, charitas, pax, &c. quæ operatur in nobis. Nō ut per hæc iustificemur, quæ iustitiam fides iam tenet & apprehendit, sed quæ nō retineatur & nō amittatur, Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis &c. & 1. Cor. 6. Gal. 5. &c. sic 1. Pet. 3. dicitur, Gratia vobis offertur per Christum. Ad hæc dicit Petrus: Gratia Domini nostri Iesu Christi, id est, fauore patris erga filium, aut propter filium quæ datur, petit pater, credimus saluari, & concedi nobis omnia beneficia Christi: ut si rex propter filium tuum, quæ diligit, parcit reo, & exaudit & liberat. Sic propter electionem & fauorem & meritum quod habet filius apud patrem, nostri miseretur: & non propter nos digni

ignitatem, aut operū iustitiam: sic eligit, vocat, conseruat in fide, glorificat nos pater, & hæc omnia propter Christū. Sic ait Paulus Rom. 16. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cū omnibus vobis, Amen, id est, fauor, dilectio, misericordia, quam pater ad nos habet & gerit propter Christum filium suum, sit & maneat vobiscum semper, & conseruet ab omni errore. Nam si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. 8.

GRATIA AN PRAECEDIT

fidem, an sint vna & eadem res.

TITVLVS LIII.

Primò, hoc sine dubio verum est, quòd gratia Dei præcedit omnia, cū fidem, tum dilectione, timorem, castitatē, &c. Nā hæc sunt dona gratiæ, quæ cōferuntur illi, quæ gratia Dei iam, acceptauit propter Christum. August. lib. de prædestinatione sanctorum, cap. 2. Deus, inquit, dum nō vult iustificare, præuenit nos, cum omnibus tam exterioribus, quàm interioribus operibus nostris, & cōdonat peccata ex mera gratia: Non quasi nos eū primò dilexerimus, 1. Ioan. 4. Ephe. 1. elegit nos in Christo. Nec gratia est fides realiter, sed fides ex gratia donatur. 1. Tim. 1. misericordiā consecutus sum, vt fidelis essem: gratia ergo præcedit fidē: tribuere ergo fidei iustificationem, cū gratia iustificet, saluet, &c. est derogare gratiæ. Non sunt ergo idem, fides & gratia.

Præcedit ergo gratia omnia dona, fidē & dilectionem, &c. Et illa causa est, cur propter Christum hæc dona communicantur nobis, sicut dicit Dauid Psal. 59. Misericordia tua præueniet me. Postremò hæc gratia facit, vt obediām⁹ fidei, dilectioni, &c. Sicut idē propheta Psal. 22. dicit, Misericordia tua subsequetur me. Hanc doctores vocāt gratiam præuenientē alte-

M m 2 ram